

Admodum R^{de} Pater. Habeo duas epistolas, alteram datam 11 martii, alteram 27 eiusdem mensis. Gaudeo quod typographus invenerit editionem Venetam anni 1599, cui proprie respondet correctorium. Nec minus gaudeo, quod libellus Recognitionis iam ad vos perlatus fuerit. Quod attinet ad nomen Eucherii, placet ut ponatur primo loco inter auctores, quibus tribuuntur homiliae Eusebii Emesini. Habeo magnas gratias R.V. quod laborem suscepit emendandi voces hebraicas. Scio nullum laborem tanta diligentia excudi posse, quin aliqui irreperant errores; sed errores quibus aspersam cernimus editionem Venetam tam graves sunt, ut multi dubitent, an oscitantia, an malignitas causa fuerit tam intolerabilis depravationis.

Optimum fuisset, si D. Pillehotius curasset spargi per librarios Parisienses, editionem Venetam corruptissimam esse, adeo ut opus fuerit auctori correctorium edere; se autem excudere idem opus iuxta correctorium Romae editum, et cum additione Recognitionis totius operis. Sic enim Pillehotius et sibi, et operi consulisset. Neque enim facile emeretur liber Parisiis excusus, si innotesceret, eum librum corrupte impressum, et paulo post proditurum alium emendatissimum, et pleniorum. Sed quod factum non est, adhuc fieri potest. Itaque hortetur R.V. Pillehotium, ut scribat de hac re bibliopolis Parisiensibus.

De psalmorum explicatione iam scripsi saepius, me tam assiduus occupationibus detineri, ut vix respirandi, nedum commentandi otium habeam; si tamen Deus vitam, et gratiam perficiendi dederit, utar libentissime opera tam boni, et tam fidelis fratris. Fateor tamen valde mirari me, unde tot vires adsint P. Petro Maturo, quem totum canum, et plane maturum vidisse memini ante annos octodecim. Addat Deus et robur, et gratiam, et suo tempore mercedem plenam pro tam sanctis, tamque assiduus laboribus. Opto R.V. bene valere memoriam mei in sanctis precibus suis. Romae, die 12 aprilis 1608.

Arch. Vat. R.V. frater, et servus in Christo etc.
Gesuit. 18 fol. 104